

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 45. (*Neovidensis* 1808. Nro. 44.)

Oratio Politica-

De auctoritate olim opinionum religiosarum
in Politicam.

Elysium-Meum.-Die Martis 14. Junii. 1808. (Neov. 27 May. 1808.)

S e n t e n t i a.

Omnes unum eundemque Deum laudamus.

Vetus dictum.

Quod ipsum nostri perspexere majores, & nos perspicimus; in dulci patrio solo nostro opiniones religiosas notabilem valorem politicis scissionibus conciliasse, oppositioni ansam præbuisse, Germanos ab invicem dissi-
ciasse, nationale odium in politicis adjunctis protulisse, quousque in hoc argumento processum est? an progressi aut regressi sumus? omnia evanuerunt, oppositio, schisma, odium, fortassis & constantia in religiosis opinionibus. Unionem hanc jam duo ante secula a majoribus nostris optatam fuisse hæc narratio probat.

Januam Cœli attingere tres vigentium in Germania Religionum Theologi, Catholicus, Evangelico — Lutheranus, & Reformatus, altis se contuiti superciliis, salutarunt tamen prisco germanico more se invicem; verum spiritus Controversiæ, quem attulere; occa-

sionem præbuit controversiarum. Tandem Catholicus Januam pulsat, Divus Petrus, Janitor Cœlestis, ostiolum aperit, conspicit Triarios Theologos æstuantibus & ferventibus — qui estis? quærit cœlestis Janitor. Illi se Theologos trium dominantium in Germania Religionum esse, reponunt; quid vos doctores Christianæ doctrinæ? reponit ille, & litigatis & disputatis pro foribus Paradisi? — Non possum vos *intolerabiles* homines immittere. Ite, ubi lites & Jurgia æterna dominantur! In his Beatorum sedibus, in quibus pax, & beatitudo regnat, locum non habebitis — porro, vere Christiana mansuetudine deprecatus ostium præcluserat. Ad hæc miseri Theologi, instar peccatorum constitere, alius alium contuitus, consternati & anxietatis pleni — Cœli cupiditas stimulabat, quilibet in angulum se recepit, opperiens Divi Janitoris reditum, theologice suis probaturi argumentis: sibi Jus ad Cœlum esse.

Diu multumque inanes expectabant, donec moræ longioris pertæsi, vulgarem hymnum: „*Omnes unum eundemque Deum laudamus*“ decantarent.

Quo facto, adest beatorum sedium ostiarius, quid? ait, omnes eundem Deum laudatis? cur de hoc, principio statim sermonis, me non certiore reddidistis? lubens beatorum vobis reclusissem ostium. Venite, ingredimur, jam deducam vos ad cœlestem patriam, cum eundem habeatis colatisque Deum.

Ita vetus sonat *narratio*, ferebatur ea per omnes cœtus familiares, in quibus jam tædium super controversis argumentis vigeat, ad lites theologicas finiendas, & germanico more, veterem *Allemanismum* (omnium virorum consensum, quo omnes & singuli uniti concordisque erant) conservandum.

Narratio hæc fabulosa argumento est: priores nostros quovis tempore votum animo suo fovisse: veterem theutonicam unionem, seu concordiam, quæ politicis magis ex rationibus, quam religiosis, convulsa fuit, restituendi. Erat interna Unionis procurandæ contentio, consentanea germano spiritui. At multorum in patria nostra intererat, dissensionem alere, quod emolumento eorum, & rationi libertatis cohæreret, quippe vetus obscurum axioma adoptavere: *bonum est in turbido piscari* & huic *oppositionem*, & *contraoppositionem* superstruxere.

In Germania *systema persecutionis* religiosarum opinionum legibus superstructum cenebatur. Religio in patria harum auctoritate firmata, stabilitaque, reliquos omnes religionum sectatores excusit, quo factum, ut Germanus Germanum pro implacabili hoste haberet, ad quod quævis regiminis forma jus ei adhuc impertiebat. Erat in visceribus Germaniæ species fermenti, quod continuo hostilem animum, odiumque inter Cives accendebat. —

Verùm quidem est; in quavis ditione fuisse sapientia inclutos viros, qui hunc sta-

sionem præbuit controversiarum. Tandem Catholicus Januam pulsat, Divus Petrus, Janitor Cœlestis, ostium aperit, conspicit Triarios Theologos æstuantes & ferventes — qui estis? quærit cœlestis Janitor. Illi se Theologos trium dominantium in Germania Religionum esse, reponunt; quid vos doctores Christianæ doctrinæ? reponit ille, & litigatis & disputatis pro foribus Paradisi? — Non possum vos *intolerabiles* homines immittere. Ite, ubi lites & Jurgia æterna dominantur! In his Beatorum sedibus, in quibus pax, & beatitudo regnat, locum non habebitis — porro, vere Christiana mansuetudine deprecatus ostium præcludit. Ad hæc miseri Theologi, instar peccatorum constitere, alius alium contuitus, consternati & anxietatis pleni — Cœli cupiditas stimulabat, quilibet in angulum se recepit, opperiens Divi Janitoris reditum, theologice suis probaturi argumentis: sibi Jus ad Cœlum esse.

Diu multumque inanes expectabant, donec moræ longioris pertæsi, vulgarem hymnum: „*Omnes unum eundemque Deum laudamus*“ decantarent.

Quo facto, adest beatorum sedium ostiarius, quid? ait, omnes eundem Deum laudatis? cur de hoc, principio statim sermonis, me non certiozem reddidistis? lubens beatorum vobis reclusissem ostium. Venite, ingredimur, jam deducam vos ad cœlestem patriam, cum eundem habeatis colatisque Deum.

Ita vetus sonat *narratio*, ferebatur ea per omnes cœtus familiares, in quibus jam tædium super controversis argumentis vigeat, ad lites theologicas finiendas, & germanico more, veterem *Allemanismum* (omnium virorum consensum, quo omnes & singuli uniti concordisque erant) conservandum.

Narratio hæc fabulosa argumento est: priores nostros quovis tempore votum animo suo fovisse: veterem theutonicam unionem, seu concordiam, quæ politicis magis ex rationibus, quam religiosis, convulsa fuit, restituendi. Erat interna Unionis procurandæ contentio, consentanea germano spiritui. At multorum in patria nostra intererat, dissensionem alere, quod emolumento eorum, & rationi libertatis cohæreret, quippe vetus obscurum axioma adoptavere: *bonum est in turbido piscari & huic oppositionem, & contraoppositionem superstruxere.*

In Germania *systema persecutionis* religiosarum opinionum *legibus* superstructum cernebatur. Religio in patria harum auctoritate firmata, stabilitaque, reliquos omnes religionum sectatores excusit, quo factum, ut Germanus Germanum pro implacabili hoste haberet, ad quod quævis regiminis forma jus ei adhuc impertiebat. Erat in visceribus Germaniæ species fermenti, quod contiano hostilem animum, odiumque inter Cives accendebat. —

Verum quidem est; in quavis ditione fuisse sapientia inclutos viros, qui hunc sta-

tum leniorem reddere connisi sunt, sed natio in genere aperto, & si ita dicere fas est, legibus probato opinionum bello intestino versabatur. Jam Fridericus ille magnus, nec minor ille Josephus olim Imperator, *Edicta Tolerantialia* edidit, quorum intentio erat: Germanos mutuo conciliare, at hi in minoribus statibus paucos nacti imitatores, & celebre Interdictum *Uti possidetis* erat pro indole sua irrevocabili termo pedem locatum.

Seculo nonodecimo a providentia reservatum est, mœstum hunc, & violentum statum, dirimente *magni viri* sententia uno ictu tollere — omnes religionum sectatores ubique eadem obtinent Jura, nulla religiosa opinio cœtus in factiones dissuit. Jamque merito vetus dictum ad morem trium Theologorum ad postes Cœli consistentium palam in Germania pronuntiare licet. *Laudamus omnes eundem Deum!*

Priscus, crudus & hostilis religiosus violentiæ status de præsentis nec Romæ amplius, verum in Anglia obtinet, quemadmodum e sequentibus patescit:

Londino die 3. Maji. Die 11. Apr. Ill. Grenville Curia Sup. libellum Catholicorum Hybernicae præsentavit; quo abrogari præjudicialis restrictiones petunt, atque similes protestantibus Immunitates exorant, libellus peculiari Copia subscriptionum munitur; decretum est: petendum die 13 Maji a Curia Inf. disquirendum esse.

In Curia Inferiore *D. Gratton* similis argumenti petitionem proposuit, sui ultra 17000 Catholici subscripti erant, decretumque: eam die 16. Maji discussioni substernendam esse.

In Anglia itaque canere non licet: *Laudamus omnes unum Deum* bene vero „*laudamus, litamus omnes Pluto*“ quippe 11. Apr. Cancellarius Theſaurarii Ill. *Petty* Curia Inferiori hujus anni *rationarium*: seu statum publicarum *Expensarum*, quibus hoc anno M. Britannia opus habet, & *Expensarium* proposuit. Summa erogationum æstimata ad 42,939,604 Lib. St. Hybernicae, ad 5,633,170 libr. æstimantur. Bellicas præstationes ad 20 milliones calculabat. Mensa argentaria 3 & $\frac{1}{2}$ Milliones anticipabat. præstationes ex Commercio utique defecisse, dicebat, ad publicas erogationes securas præstandas *mutuum* 8 mill. Lib. desiderari, id quoque ferretur 4 Million novarum Sygrapharum Camerae ærialis in Circulationem ponendas, ad eos, qui hypothea gaudent, supplendos *Census*, exquirendi pro novo mutuo, & memoratis Sygraphis efficere 750,000 Lib. — quæ ratione sequente procurari possent: Ex brevibus annuis obventibus Summa 38000 Libr. Compendium sumtuum in administratione publicarum munerum, publicarum fundationum 65000 Lib. Elevatio aliquot permanentium præstationum, atque œconomia in ratione perceptionis earum: 125000 fl . Elevatio variarum præstationum *signi publici* 200000 Lib. — ex quibus Summa exurgit 777000 Lib. St. &c. *D. Tierney* inhæsit anim-

adversioni suæ intuitu hujus rationarii oportuno tempore explicandæ. Erga propositi-
nem Cancellarii Camerae ærariæ, 726000
Lbr. ceu redundantia foundationum, securi-
tate firmatarum, (consolidatarum) decreta sunt.
Quapropter patet: vos Anglos omnes Plu-
tum laudare — at quamdiu? nos quidem
Germani utiq; ad ejus altare pecunias vobis
attulimus; at respicimus; non amplius lita-
mus, in opinionibus religiosis tolerantés su-
mus quidem, at erga merces vestras in gra-
du supremo intolerantes facti — apud vos
Britannos contrarium obtinet.

In Hollandia quoque *Tolerantia*, divina
proles, in discussionem sumpta, quemadmo-
dum sequens *Amstelodamo de 18. Maji* perhi-
bet nuncium: — Decretum de 11. & 15. h. m.
Rex negotia ecclesiastica, quæ adusque ad
provinciam Ministri negotiorum interiorum
spectabant, separavit, & distinctum pro iis
(*Departamentum*) Collegium erexit, qui ministri
neg. int. munere hætenusungebatur *D. Mol-
lerus*, de præsentis negotiorum ecclesiastico-
rum ministerio præest, & qui ad hoc usque
Præses Consilii Status secundæ sectionis erat,
ministerio neg. int. præfectus est, qui hester-
no nomine regis extra ordinem habito Con-
ventui Collegii ferendis legibus Ultrajecti fi-
nem imposuit.

Sed jam alia nova proferamus:

Romæ de 8. Maji. Sequens hic jussu Cæ-
sareæ Gallicæ Præfecturæ armorum *Edictum*
editum & promulgatum est: „Incolæ urbis

Romæ usque primam noctis libere absque lumine plateas obire possunt; rhedæ nihilominus, incidente nocte, laternis collustratis instructæ esse debent. Definito supra tempore vigiliæ, Circitores, & ministri politiæ lumine carentes comprehendendos, & sequente die, Præfecto loci tradendos habent; quavis militares, aut politiæ administri, qui a comprehensio, libertatis causa, pecuniam acceptant, æque gravi, ac illi, qui liberam dimissionem ære impetrare tentant, pœna adficiendi — noctis media 12, usque matutinam 4 horam, portæ claudendæ.

Oniponto die 16. Maji. Hodie ante meridiem Regius Gen. Commissarius C. ab *Arco* in comitatu duorum Status Secretariorum Curiam adibat, Statibus ibidem coactis proposuit; quod, cum Majestati mens sit; ditioribus hæreditariis suis adjunctis temporum accommodatam Constitutionem dandi, & in hac universalem representationem nationalem inducendi, supra memoratam Majestatem provinciales Conventus Statuum, proin & Tyrolensem abrogandum decrevisse. Quo declarato, activitate congregati Status dimissi, officiales, ante 15. Junii p. a. juramento non adstricti, eo obligati, Archivaque, & Registraturæ sigillo adfectæ. Idem hodie *Botzenii* prout in Bavaria, Neoburg. Vorarlbergensi ditone factum, in qua urbe peculiaris Jurisdictio existebat, per ejectionem provinciæ Præfectum, qui hesterno expedito Cursore publico mandatum acceperat. Apud plebem dudum prævi-

ea dissolutio Constitutionis aristocraticæ, cujus navi alioquin pluribus, & multiplicibus reformationis votis, & propositionibus ansam dederant, exiguam hæc Innovatio protulit sensationem.

In Ephemeridibus Florentinis leguntur litteræ *Circulares* editæ ab Administratore Tusciæ, ad quosvis Episcopos provinciæ, in quibus inter cætera hæc leguntur, Ignari, aut publicæ tranquillitati adversantes in vulgus sparsere; quasi Codex Napoleonis plures propositiones, cum primis in ratione ad *matrimonium*, contineret, quæ Sacramentum tollerent, Catholicosque ab observatione ab Ecclesia præscripta impedirent. At vero secundum memoratum Codicem omnes matrimonio jungi volentes coram Magistratu prius Civili Contractum matrimoniale inire obligantur, quam sacramentalis copulatio, plene secundum præscriptum Ecclesiæ, peragi valeat. Cunctis proin Doctoribus sanctæ religionis nostræ hiis præcipitur: ut ignorantibus de eo erudiant, damnosaque præjudicia eorum mentibus extirpent.
